



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

1750

Caput XII. Solvuntur ea, quæ obtrudunt Defensores scientiæ mediæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83620)

xxxiii. habita coram SS. D. N. Clemente VIII. eumque ad Scientiam hanc *mediam* confirmandam validissimum putat Franc. Suarez lib. 1. de Gratia Prolog. 2. cap. 3. At S. P. lib. de Prædest. SS. cap. 9. hæc ex aduerso respondet: *Cernitisne me sine præiudicio latentis consilii Dei aliarumque causarum hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem sufficere videretur? Quid enim est verius, quam præscivisse Christum qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicato sibi Christo, à seipso habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere atque differere tunc necessarium non putavi.* His autem docet Augustinus se utique tradidisse scientiam conditionatorum, sed absque præiudicio latentis consilii Dei, sive in prædestinatione ad fidem, & in proposito voluntatis suæ ante mundi constitutionem. Quod scientiæ *mediæ* omnino est peremptorium.

16.
Suarezii argumentum refutatur.

Neque ullius momenti est, quod ait citato loco Suarezius, S. Patrem priorem sententiam de Præscientia Dei antecedente decretum potius confirmasse, dicens: *Possêt etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem, eo vel maxime quod Augustinus cit. Epist. 502. scribit noluisse Christum apparere infidelibus, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præscivit:* quæ verba accipi non possunt de præscientia consequente decretum, cum Deus neminem eligat ad non credendum. Non, inquam, hæc dici possunt. Quis enim non videat ea verba. *Possêt etiam sic dici, &c.* complecti electionem eorum, qui prædestinati sunt ante mundi constitutionem? Quis non

percipit referenda esse ad ea, quæ S. P. scripserat citata Epist. nulla tunc facta mentione prædestinationis, quam exorta Pelagiana hæresi laboriosius explicare oportebat? Quis non acquiescat, posteaquam Augustinus admonuit se loquutum absque præiudicio latentis consilii Dei? Quis non miretur Suarezium non advertisse ea, quæ sequuntur: *Tunc satis erat breviter esse dicendum excepta altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, & sine præiudicio aliarum causarum?* Quis non sentiat refutari ab Augustino Semi-pelagianorum objecta, non confirmari? De infidelitate autem plurimorum, non eadem ratio est, ac de fide: illius causa est sola voluntas; huius voluntas & gratia: de illa stat sine prædestinatione præscientia, in ista prævidet Deus quidquid est ipse factururus. Sed & infidelitas, si Deus subtrahat auxilium efficax, videtur absque ulla scientiæ *mediæ*, ut dixi cap. præc. propos. 2. Quapropter inutilis est Suarezii argumentatio, & contra eum retorquetur.

Tandem S. P. Augustinus, cum illi à Semi-pelagianis objicerentur quædam testimonia veterum Patrum, qui operum præscientiam independentem à prædestinatione, & efficaci Divinæ voluntatis proposito videbantur tradidisse; libro de Dono Persev. cap. 18. respondet illos præscientiam nomine designasse prædestinationem: *Quid ergo, inquit, nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei Tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere?* Sed præscientia prædestinationi subnixa, non est illa, quam appellant scientiam *mediam*, hæc enim prædestinationem antevertit, & nullum decretum supponit, nisi conferendi omnibus & singulis gratiam versatilem, in qua nil potest certo præsciri, neque discretio aliqua unius præ alio contineri: Igitur rejicit Augustinus scientiam conditionatorum, qualem propugnant Medistæ.

17.
Responsio S. Augustini ad objectiones Semi-Pelagianorum.

CAPUT XII.

Solvuntur ea, quæ obtrudunt Defensores scientiæ *mediæ*.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. Enervatur argumentum ex S. Scriptura depromptum.

5. 6. 7. 8. 9. 10. Solvuntur textus S. Augustini ab Adversariis afferri soliti.

11. Et seqq. Satisfit cæteris argumentis.

1.
Obiectio 1.
ex S. Scriptura.

PRIMO ita arguunt adversarii. Deus vidit futuram conversionem Tyriorum ac Sidoniorum independentem ab omni conditione inferente: Ergo vi-

dit per scientiam *mediam*. Probat. antec. Matth. xi. 21. ita Christus increpat Corozaitas & Bethsaitas: *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro*

Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere, & cilicio penitentiam egissent. Itaque vidit Deus futuram conversionem Tyriorum ac Sidoniorum sub ea gratia, quam habuerunt Corozaitæ ac Bethsaitæ: Sed gratia, quam habuerunt Corozaitæ, & Bethsaitæ non fuit efficax, & conditio inferens: Ergo Deus non prævidit futuram conversionem Tyriorum ac Sidoniorum, dependenter à conditione inferente, & à decreto, auxilioque efficaci.

Solutio. Resp. nego consequentiam: futura quippe conversio Tyriorum ac Sidoniorum, cum sit conditionata, spectat, ut diximus cap. x. prop. iii. ad scientiam *simplicis intelligentiæ*, qua Deus vidit possibilem conversionem ad fidem in Tyriis & Sidoniis, si apud eos facta essent signa ac prodigia, quæ patrata fuerant apud Corozaim & Bethsaidam. Harum autem urbium cives idcirco Christus increpat, quoniam obstinati erant, pervicaces, obdurati, & resistebant Spiritui Sancto, cui Tyri ac Sidonii nulla tali obduratione obcæcati obtemperassent vocanti. Et hanc Judæorum obdurationem Christus scientia *visionis* comprehendebat. Quapropter eorum increpatio in comparatione Tyriorum, quatenus spectat ad conditionatam istorum conversionem, infert in Christo scientiam *simplicis intelligentiæ*, & prout spectat ad pervicaciam & cæcitatem Judæorum, demonstrat scientiam *visionis*. Illa enim conversio erat possibilis: ista obduratio existens. Ad probat. ant. dist. majorem: Vidit Deus futuram conversionem Tyriorum ac Sidoniorum sub ea gratia, quam habuerunt Corozaitæ & Bethsaitæ, & hæc gratia in Tyriis & Sidoniis fuisset ab intrinseco efficax, quæ in Corozaitis & Bethsaitis talis non fuit ob eorum duritiem, concedo: fuisset in utrisque tantum versatilis, nego. Habet gratia Christi, quæ convertit corda hominum, gradus suos, & in uno est efficax, in altero otiosa redditur ob pervicaciam arbitrii. Quapropter credidissent Tyrii & Sidonii, si æqualia signa vidissent, quia non erant sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum, sicut erant obdurati & excæcati Corozaitæ, inquit S. P. lib. de Dono Persev. cap. 14.

2. Instantia. Sed dices, Non erit ergo Gratia ab intrinseco efficax, sed tantum ex liberi arbitrii affectione, ut contendunt Moliniani.

Solutio. Resp. hanc propositionem falsam esse. Aliud est enim ponere impedimentum *R. P. Berti Theol. Tom. I.*

ne gratia Dei effectum suum sortiatur; aliud reddere illam efficacem. Ponit utique liberum hominis arbitrium impedimenta, quibus gratia aliquando effectum suum non consequitur: & hæc impedimenta sunt peccata quæ præcedunt, pravi habitus, honorum ambitio, odii atque invidentiæ nutrimenta: quæ in se habebant arbitrii vitio Corozaitæ; digni proinde gravissima increpatione, quoniam, cur non crederent, ipsi ponebant remoram, veluti splendidissimo Soli clausos sponte oculos objicientes. Vide S. Thomam in iii. contra Gent. cap. 159. At cur gratia sit efficax, cur unum discernat, non alterum, cur in illo omnia validissimo impulsu superet impedimenta, trahatque renitentem hominum voluntatem, non ex nobis, sed ex Dei munere venit. Interdum enim Deus, qui sanat contritos corde, & erigit omnes elisos, talem elargitur gratiam, quæ agit de omni mala cupiditate triumphum: sed hanc, quæ speciali titulo efficax dicitur, misericordia Dei non omnibus impertitur. Communior est gratia alia, quæ in se valida quidem est, sed ei, nisi adsit specialis illa victrix, & magna, liberum arbitrium culpabili voluntate resistit. Habet in se virtutem sanitatis medicamentum, neque est ab ægotantis conatu morbi cura, & corporis valetudo. Si autem infirmus velit comedere quidquid appetit, aerem respirare malignum, surgere è strato, spernere medentis consilium, nunquam medicinæ poterit experiri in se beneficium. Est pariformiter gratiæ efficientia à Deo, impedimentum ex nobis.

Insurgens. Si gratia sit ab intrinseco efficax, poterant Corozaitæ Christo increpanti respondere, se ideo non credere, quoniam non largiebatur illis efficax adjutorium: injuste corripì, & nullam esse sui cum Tyriis & Sidoniis comparationem: his adfuturam in hypothesis gratiam, qua ipsi carebant, potentior ac victricem: deesse sibi voluntatem, quæ præparatur à Domino: hanc daret, & nisi credant, corripiantur.

Hæ sunt vetustissimæ Semipelagianorum querimonie; quibus tenentur quoque respondere qui defendunt gratiæ congruæ necessitatem. Etenim in horum sententia poterant reponere Corozaitæ, se non vocari ad Christi fidem in talibus circumstantiis, in quibus positi Tyrii ac Sidonii fuissent, ut assensum præberent vocanti. Itaque recurrendum est ad ea quæ respondit S. Pater

Gg

Adru.

3. Insurgitur.

Solvitur,

Adrumetinis, videlicet, merito corripit Corozaitas, quia fidei impedimentum, excacatio, pervicacia, resistentia non ex Deo erat, sed ex ipsis. In hoc iuste increpari comparatione Tyrriorum, quod hi minus essent obdurati, minus invidi, minus dediti cupiditatibus. Si ad habendam actualem fidem efficax gratia requiritur, id esse post Adæ culpam, à qua proficiscitur humani arbitrii imbecillitas. Parare tamen Deum, qui vult omnes homines salvos fieri, auxilia singulis sufficientia. Si adjutorium quo efficitur in nobis bona voluntas, non omnibus ex æquo conceditur, esse inscrutabile Dei iudicium. Is cuius vult miseretur, & quem vult indurat: negat beneficium indebitum, exercet debitum iudicium. *Tu quis es*, ait Apost. 5. ad Rom. *qui respondeas Deo?* Uno verbo: culpanda est in infidelitate mala hominis voluntas, laudanda in fide credentium misericordia liberatoris. *Sed alii credunt, alii contradicunt: volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignorat? Quis hoc neget? Sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur, voluntas à Domino; discernendum est utique quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio:* ait S. P. lib. de Præd. SS. cap. VI. Addam præclarissimam sententiam S. Prosperi resp. VIII. ad Excerpta Genuensium. *Quare autem, inquit, hoc eis negatum fuerit, dicant, si possunt, qui calumniantur: & ostendant cur apud eos Dominus mirabilia, quibus profutura non erant, fecerit; & apud eos, quibus erant profutura, non fecerit? Si rationem facti, & profunditatem iudicii ejus penetrare non possumus; manifestissime tamen scimus, & verum esse quod dixit; & iustum esse quod fecit, & non solum Tyrios & Sidonios, sed etiam Corozaim, & Bethsaida potuisse converti, & fideles ex infidelibus fieri, sic hoc in eis Dominus voluisset operari.* Refunditur autem ab Augustino & Prospero in inscrutabile iudicium Dei, quod uni, non alteri datur efficax gratia; quia nulli debetur; & cum pares sint malis meritis, qui eligitur, misericorditer liberatur: qui derelinquitur, iustissimo reprobatur iudicio.

4.
Colligitur
quid dicen-
dum ad ar-
gumenta ex
Scriptura,

Ex dictis constat quid sit respondendum similibus Scripturarum divinarum testimoniis, V. G. 1. Regum 23. ubi Davidi querenti, *Si viri Ceila tradent me in manus Saul?* ait Dominus, *Tradent.* Jeremix xxxviii. 17. *Si profectus exieris ad Principes Regis Babylonis, vivet anima tua.* Matth. xxiv. 22. *Nisi breviati fuissent dies illi, non*

fuisset salva omnis caro, &c. Hæc enim omnia pertinent ad Scientiam simplicis intelligentiæ, quatenus noscitur possibilis proditio Davidis, vita Sedecia, prævaricatio Justorum: & ad Scientiam visionis, in quantum videtur conspiratio Celeitarum, indoles principum Babylonis, infirmitas Justorum, qui nunc stant, sed in consilio malignantium, in circumvenientium fraude, in persecutione impiorum caderent, nisi gratia juvarentur potentiore. Vide cap. præced. prop. 3.

Conantur secundo Scientiam mediam comprobare auctoritatibus Augustini. Primo quia lib. xii. de civit. Dei cap. 6. docet aliquos duos aequaliter affectos esse, & tamen unum ad impudicam voluptatem percelli, alterum in castitatis amore permanere: *Si aliqui duo, inquit, aequaliter affecti animo & corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua visa unus eorum ad illicita perfruemum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret: si eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, atque consentiat; alter idem qui fuerat perseveret: quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere?* Quo in loco S. P. non ad gratiam victtricem, non ad prædestinationem, non ad Divinum propositum, sed ad solam voluntatem æqualiter affectam, eademque gratia suffultam tam impudicitiam refert, quam continentiam & castitatem. ii. In lib. de Dono Persev. cap. 14. scribit: *Habere quosdam in ipso ingenio Divinum naturaliter munus intelligentiæ, quomoveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Ubi manifestissime gratiam congruam audimus commendari. iii. In lib. de Spi. & lit. aperte testatur non omnem voluntatem nostram ex Deo esse. iv. de Prædestinat. cap. x. ait: *Potest autem esse sine prædestinatione præscientia: & consequenter non omnia, quæ certissime Deus prævidet, fuerunt ab eo definita.* v. In Exposit. Epist. ad Romanos Prop. iv. *Non omnes, inquit, qui vocati sunt, secundum propositum vocati sunt: hoc enim propositum ad præscientiam & prædestinationem pertinet; nec prædestinavit aliquem, nisi quem præscivit crediturum, & secuturum vocationem suam, quos & electos dicit.* En Scientia media literis causa cubitalibus. vi. lib. i. ad Simplic. quæst. 2. *Nullius, inquit, frustra miseretur: cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

respuat. Plura sunt ibidem pro gratia congrua satis pervia legentibus.

6.
Solutio 1.

Generalis responsio est, S. Patrem hæc & similia pronunciasse absque præiudicio latentis consilii Dei, aliarumque causarum, ut ipsemet Augustinus inimicis gratiæ Dei respondet lib. de Prædest. SS. cap. 9. Atque si aliquando ante Episcopatum Scientiam *mediam* propugnauerat; *Nondum diligenter quaesierat, nec adhuc invenerat, qualis sit electio gratiæ*: ut proficetur lib. 1. Retractat. cap. 23. Resp. tamen ad singula. Et primo quod proferunt ex lib. XI. de civit. Dei etiam ab iis, qui gratiam congruam defendunt, solvendum est. Non sunt enim æqualiter affecti corpore & animo, qui in diversis positi sunt loci ac temporis circumstantiis. Deinde S. P. quærit ibidem causam mali, non boni, ut apparet ex illis verbis: *Quid putamus esse causam, ut in illo fiat, in isto non fiat voluntas mala?* Profecto mala voluntas habet causam deficientem, & provenit à solo homine; sed voluntas bona excitatur principaliter à Dei gratia. Hinc S. P. probans in libris de civit. Dei contra Manichæos malum non esse à Deo, affirmat unice oriri ab hominum voluntate: sed in libro de Dono persever. cap. 3. disputans contra Pelagianos de origine meriti probat consimili exemplo non à voluntate, sed ab inscrutabili iudicio provenire, curex duobus, tamen æqualiter sint affecti, *uni donetur perseverantia, non alteri*. Lege in utroque loco Sanctum Doctorem.

7.
Solutio 2.

Ad 2. constat ex supradictis habere homines in seipsis vim ingenii, ac naturalem indolem, & comparata etiam virtutum officia, quibus si congrue vocentur, vocantem non respuant. At naturales affectiones naturæ non disponunt ad gratiam; id enim asserere est Semipelagianum, & hæreticum: sed remouent tantum gratiæ obicem & impedimentum: neque ullaatenus recte operantur qui naturaliter habent Divinum munus intelligentiæ, *Si Dei altiori iudicio* (nota quæ statim intonat Augustinus) *à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti*. Atque hæc est gratia congrua Augustini, non qualem fingunt Moliniani.

8.
Solutio 3.
& 4.

Ad tertium & quartum dicendum non omnem voluntatem esse à Deo prædeterminante, si sermo sit de operibus naturalibus, & peccatis, quorum est in Deo præscientia absque prædestinatione: sed plura de his cap. VII. præcedenti.

R. P. Berti Theol. Tom. I.

Quintum locum retractat S. P. lib. 1. cap. 23. affirmans se adhuc Presbyterum ea verba scripsisse, cum nondum sciret etiam fidem inter munera Dei reperiri: unde vellem ab his adversarios nostros abstinere, ne fateri cogantur S. Patrem Scientiam *mediam* revocavisse.

9.
Solutio 5.

Ad ultimum respondeo quidquid Augustinus exornavit præfato libro 1. ad Simpl. exponendum esse juxta ea, quæ de hoc libro scribit in 2. Retract. cap. 1. dicens: *In cujus questionis solutione laboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ: sed vicit Dei gratia, nec nisi ad illud potuit perveniri, ut liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus: Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non acceperis?* Deinde non sic appellat S. P. gratiam congruam, quasi ipsius efficacia sita sit in rerum circumstantiis, & naturalium affectuum cum divinis auxiliis temperamento: sed quod Deus omnia tali congruentia disponat & aptet, ut ubi, & quando sibi videtur, alliciat, trahatque indeclinabiliter hominum voluntatem. Et hoc apparet ex his quæ sequuntur: *Cum ergo nos ea delectant, quibus proficimus ad Deum, inspiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu nostro, & industria, aut operum meritis comparatur: quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur*. Quid plura? recurrit tandem maximus Gratiae Vindex etiam hoc loco ad inscrutabilia iudicia Dei, qui cuius vult miseretur, quem vult indurat.

10.
Solutio ultima.

Adoriuntur denique nos adversarii depromptis à ratione argumentis: quorum primum est, scientiam *mediam* post à ratione. innumeras oppugnantium argutationes, veluti igne probatam in Congregatione de auxiliis immunem ab omni errore emeruisse. Deinde per eam componi facile dissidia, & liberum arbitrium contra Jansenianos & Calvinistas defendi: decreta e contra prædeterminantia ex quo fuerunt intrusa, fuisse scissionum seminaria, & Adrumetinos, Massilienses, plurimosque viros turbasse pietate, ac doctrina conspicuos. Ulterius necessariam esse scientiam *mediam* ut Dei voluntas dirigatur in suis decretis circa supernaturalia opera statum naturæ lapsæ, cui antequam Deus conferat gratiam, qualem ei videt congruere, explorare debet quidquid possit humana voluntas cum adiutorio versatili, si in tali rerum constituatur circumstantia. Præterea nunquam in una

11.
Obiectio 3.
à ratione.

tantum causa videri effectum, qui producit à duabus, & consequenter bona opera, quæ efficiuntur à gratia simul & voluntate, non posse in prædestinatione gratiæ infallibiliter prævideri. Tandem frustra conari Augustinianos, ut gratiam victricem cum libertate componant: nam omnis suppositio antecedens, absoluta & impedibilis destruit indifferentiam libertatis: Decreta, prædestinatio, gratia victrix sunt aliquid antedens, absolutum, & impedibile: Tollunt ergo libertatis indifferentiam.

12. Quidam ad 1. respondent sub Paulo
Solutio 1. V. jam exaratum diploma, quo prohibebatur sententia Ludovici Molinæ, sed sic Deo disponente non fuisse publicatum: verum si promulgatum non est, nullum suppeditat adversus scita Molinæ argumentum. Addunt aliqui proscriptam scientiam *mediam* die xv. Jul. ann. 1697. decreto Caroli Mauricii Le-Tellier Remensem Archiepiscopi: sed nihil nos movere debent privata judicia contra statuta Pontificum. Ergo dicimus scientiam *mediam* in Congreg. de Auxiliis non esse neque damnatam, neque improbatam; tolerari, non commendari; iudicium de ea suspensum, non definitum: servandam inter nos charitatis vicissitudinem, non veritatis deferendam inquisitionem; abstinendum à puerili rixarum prurigne, & à criticis intemperantia: non à sectandis magni Augustini vestigiis. Hæc ad primum.

13. Ad secundum vero dicimus hanc rationem adeo facilem conciliandi libertatem, cum gratia nunquam ab ortu Pelagianismi ad Molinam usque sive ab Augustino, sive ab Ecclesia fuisse probatam: incredibile esse tanto annorum intervallo Christianam Fidem Moliniano Magisterio, si ad veritatem accederet, fuisse privatam: affirmandum esse iis, qui congrua jactant adjutoria, Deum optimum maximum revelasse veritatem Augustino pugnanti adversus hæreticos, & constituto in circumstantiis rerum gravissimis, non Molinæ

scribenti tranquilla pace, debellatis hæreticis, & finita causa Pelagianorum. Augustinianam vero doctrinam turbasse horum hæreticorum reliquias, & prostratorum cinerem ventilantes: consecratam ad hæc tempora Summorum Pontificum laudibus splendidissimis: gloriæ characterem esse, si ea concitati fuerunt ingrati: flocci facienda Launoj dicteria confossa à Clementis XI. vigilantissimis curis fulmine Vaticano. Moliniana dogmata e contra non à Semipelagianis, & gloriosis defensoribus libertatis refelli, sed ab Augustini ac D. Thomæ catervis pugnantibus pro Christi gratia, pro arbitrii facultate, pro imperturbata Patrum suorum traditione.

Ad tertium dico, universas vias Domini esse misericordiam & veritatem, sive iustitiam & pacem. Iis dirigitur Deus in hoc miseriarum statu absque *media* scientia. Videt omnes posteros Adæ originali coinquinatos peccato, & ex una luti massa pro sua potestate fingit sibi vasa honoris, & permittit coagmentari vasa contumeliæ. Quos eligit ad honorem, trahit ad se omnipotentissima gratia, præmovet efficaciter, adjuvat infirmos, erigit elisos, convertit rebelles: hæc est via misericordiæ. Et quotquot reprobat ad contumeliæ, relinquit inhiantes cupiditatibus, sinit dari sponte præcipites, spernit sanie voluntaria confectos: hæc est via veritatis, & via iustitiæ. Ut ergo omnia à fine usque ad finem disponat suaviter, ac fortiter, sufficit scientia *simplicis intelligentiæ*, qua comprehendit quidquid ejus subditur potestati; necnon *scientia visionis*, qua in posteris Adæ cernit miseriam, & culpam, hanc objectum iustitiæ, illam misericordiæ.

Ad quartum vera est responsio, in una causa cognosci effectum alterius, si hæc ab illa recipiat virtutem, motum, & determinationem ad actum: quod præstat Divinum adjutorium hominum voluntati. Ut postremam aufugias muscipulam, faciam oppido.

CAPUT XIII.

Quonam pacto Divinis prædefinitionibus libertas cohæreat humana?

SUMMARIUM

1. Regula prima conciliandi libertatem humanam cum Divina prædefinitione ad mentem Thomistarum.
2. Statuitur Regula secunda, & longè melior.
3. Regula tertia quorundam Augustinianorum.
4. Regula quarta nonnullorum aliorum.
5. Quorundam Theologorum opinio re à Jansteniano errore non discrepat. Item asseritur Regula quinta ceteris omnibus præferenda.
6. Regula sexta Recentioribus communis.

Ex